



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

IV. De non eligendo in Abbatem Ord. Cisterc.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)



Frater Raymundus Tit. S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presbyter Card. Capitulicus Ordinis S. Dominici, Romanus.

*Antonius Gabriellus Clericus, Romanus. Dap.*

Frater Laurentius Brancatus Tit. Sanctorum Duodecim Apostolorum S. R. E. Presbyter Card. de Laurea Ordinis S. Francisci.

*Abbas Petrus Antonius Bazzantus, Senensis. Dap.*

Jacobus Tit. S. Mariæ in Araceli S. R. E. Presbyter Card. de Angelis, Pisanus.

*Abbas Thomas Mancinillus, Narnien. Dap.*

Opitius S. R. E. Presbyter Card. Pallavicinus, Januensis.

*Hieronymus Pallavicinus, Januensis. Dap.*

Marcus Antonius Tituli Sanctæ Sufannæ S. R. E. Card. Barbadicus, Venetus.

*Abbas Petrus Palazzius Presbyter, Brixianus. Dap.*

Carolus Tit. S. Augustini S. R. E. Presbyter Card. Cicerus Episcopus Comi, Comensis.

*Aurelius Rozzonius, Comensis. Dap.*

Leopoldus S. R. E. Presbyter Card. Kollonitz, Germanus.

*Franciscus Medicina, Clericus Civitatis. Dap.*

Petrus Matthæus Tituli S. Marcelli S. R. E. Presbyter Card. Petruccius Episcopus Æsinus.

*Mutius Sinibaldus, Auximanus. Dap.*

Guillelmus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Furlenberg, Germanus.

*Eques Thester, Gallus. Dap.*

Joannes Casimirus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Presbyter Cardinalis Denhoff, Polonus.

*Christoforus Stavinskij Polonus ex Provincia Prussia, Diocesis vero Varmien. Dap.*

Joseph Tituli S. Balbinæ S. R. E. Presbyter Card. de Aguirre, Hispanus.

*Josephus Ochoa de Aperrigui, y Amejugo Calaguritanus, & Calceaten. Diocesis. Dap.*

Leander Tit. S. Petri in Monte Aureo Sanctæ R. E. Presbyter Card. Colloredus, Venetus, Sanctissimi D. N. Pœnitentiarius Major.

*Comes Cajecanus Torellus, Parmensis. Dap.*

Fortunatus Tit. Sanctorum Joannis, & Pauli S. R. E. Card. Caraffa Neapolitanus, Archiepiscopus Averſæ.

*Frater Laurentius de Castellis Eques Hierosolymitanus, Interammen. Dap.*

#### DIACONI XI.

Franciscus Sanctæ Mariæ in Vialata Primus Diaconus S. R. E. Cardinalis Maidalchinus, Viterbiensis.

*Joannes Philippus Rozzulus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.*

Nicolaus Sanctorum Cosmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Card. Acciajulus, Florentinus.

*Eques Carolus Henricus de Sancto Martino, Pedemontanus. Dap.*

Urbanus S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. Diaconus Cardinalis Sacchetti Episcopus Viterbiensis, Florentinus.

*Joannes Jacobus Chircher, Germanus. Dap.*

Joannes Franciscus Sancti Angeli in Foro Piscium S. R. E. Card. Ginnettus Romanus, Archiepiscopus Firmanus.

*Abbas Joseph Crucius J. U. D. Clericus, Tiburtinus. Dap.*

Benedictus S. Agathæ S. R. E. Diaconus Card. Pamphilius Romanus.

*Abbas Æneas Tassius, Bergomen. Dap.*

Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. Diaconus Card. Curtius Florentinus.

*Abbas Joannes Philippus Salvatus, Florentinus. Dap.*

Joannes Franciscus S. Cæsarei S. R. E. Diaconus Card. Nigronus Episcopus Faventinus, Januensis.

*Abbas Felix Nigronus, Januensis. Dap.*

Fulvius Sanctæ Mariæ in Cosmedin S. R. E. Diaconus Card. Astallius, Romanus.

*Joseph Buccapadulus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.*

Garpar S. Georgii S. R. E. Diaconus Card. de Cavalieriis.

*Marchio Fabritius Narus Clericus Conjugatus, Romanus. Dap.*

Franciscus Maria S. R. E. Diaconus Card. Medices, Florentinus.

*Frater Rutilius Sanfedonius Eques Hierosolymitanus, Senensis. Dap.*

Raymundus Sanctæ Mariæ de Scala S. R. E. Diaconus Card. Estensis, Mutinensis.

*Marchio Nicolaus Tassonus, Ferrariensis. Dap.*

Conceduntur Dapiferis Privilegia, Exemptiones, & Indulta.

*Idem factum fuit ab Inn. XI. Const. edit. 1677., Jan. 4., P. 1. Et ab Inn. XII. Const. ed. 1691., Julii 15., P. 1.*

#### ALEXANDER PAPA VIII.

Urbis.

**M**Ortu proprio &c. (quæ sequuntur vide locis supra laudatis.

Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum Octavo Idus Decembris Anno Primo.

Nihil I. de Laurentiis.

Confirmatur Constitutio Clem. IX. de non eligendo in Abbatem Ord. Cisterciens. aliquem non expresse professum.

*Laudata Constit. Clem. IX. hic refertur, in qua fit mentio Constitut. Alex. VII. super Ordinis reformatione, que edita fuit 1666. Apr. 19. P. 12.*

#### ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

**D**ebitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut illa, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris pro salubri Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitæ Monasticæ jugo mancipatorum directione, & gubernio provide constituta esse di-

III.

Dat. 3. Dec.  
1689. An. 1.

IV.

Dat. 23. Dec.  
1689. An. 1.

Exordium.



Constitutio  
Clem. IX.

Ab Alex. VII.  
§. 36. prohibi-  
tum fue-  
rat, ne ullus  
non profes-  
sus eligeretur  
Abbas  
Generalis.

Hæc prohibi-  
tio extensa  
fuit a Capi-  
tulo 1667.  
etiam ad Ab-  
bates eligen-  
dos.

Idipsum fa-  
ctum fuit a  
Clem. IX.

gnoscentur, quo solidius perennent, cum id a nobis petitur, Apostolici muniminis nostri præsidio constabiliamus.

§. 1. Alias siquidem emanarunt a fel. re. Clemente PP. IX. prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet. *Clemens PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.* In sublimi Sedis Apostolicæ solio meritis licet imparibus divina dispositione constituti, prospero felicique Ordinum Monasticorum, qui Dei Ecclesiam laudabilis conversationis, aliisque multiplicibus meritis exornant, statui, atque conservationi libenter consulimus, sicut in D. salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium quod cum fel. rec. Alexander Papa VII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis: *Decret die 19. Aprilis 1666.* super reformatione generali dicti Ordinis, emanatas literas inter alia prohibuerit, ne ullus in posterum in Abbatem Generalem Ordinis prædicti eligeretur, qui eundem Ordinem non esset expresse professus, & taliter facta electio esset pro jure nulla, & sic eligentes penam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso, absque alia declaratione incurrerent: dilecti filii Abbates dicti Ordinis in ultimo eorum Capitulo Generali Cistercii 9. Maii 1667., & aliis diebus sequentibus celebrato congregati publico ejusdem Ordinis bono profuturam existimarunt prohibitionis, & pœnarum hujusmodi extensionem, ad alios quoscumque Ordinis prædicti Religiosos, qui personas eundem Ordinem non professas in Abbates aliorum Monasteriorum ipsius Ordinis elegerint. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne ullus in posterum, qui Ordinem supradictum non sit expresse professus in Abbatem cujuscumque Monasterii ejusdem Ordinis eligatur, alioquin taliter facta electio sit ipso jure nulla, & sic eligentes penam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso absque alia declaratione incurrant, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus pariter, & interdicimus. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in futurum inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slufius.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Cisterciensium nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa quo firmitus subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio ubique communitari summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas supradicti Clementis prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Preces Procuratoris Gen.

Confirmatio relatæ Constitutionis Clementis IX.

Clausula.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Clemens prædecessor in suis literis præfatis concessit non obstante, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici scriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIII. Dec. MDCLXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Confirmantur Literæ Magistri Gen. Ord. Prædicatorum, quibus tolluntur nonnulli abusus in Provincia Portugallia.

V.

De hujusmodi abusibus vide Inn. XI. Constitut. ed. 1677., Nov. 20., P. 2. Item Const. ed. 1677. Januar. 5., P. 2. Et Inn. XII. Const. ed. 1695. Septem. 22, P. 5.